



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Gloria inanis quantopere fugie[n]da: item quænam bona sint vel
occultanda, vel palam exhibenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Gaudium
Herodis cuiusmodi.

Iesum arripiunt, & quia nihil ad Pilatum impetrauerant, id ipsum in Iesum moluntur retorquere, pluribus ac grauioribus iniurijs in eundem insurgunt, iraq; pleni, Herodi adducunt. Quo cum venissent, impiè pertinaciterq; de eisdem, quorum apud Pilatum ipsum accusauerant, incusant. Ceterum Herodes viso Iesu gaudens est. Non fuit hoc gaudium deuotionis, sed curiositatis. Sperabat enim signum videre ab Iesu. Quod cum desideraret, vt curiosus atq; nouarum rerum appetitor, gaudebat datam sibi occasionem, id quomodo desiderabat impetrandi. Credebat enim se in manu sua habere Iesum, qui quicquid desideraretur, esset factururus, vt regis obtineret gratiam & sui liberationem. Itaq; interrogauit Iesum multis sermonibus, sed nihil ad salutem conducentibus. Ad quæ omnia interrogata Iesus nihil respondit. Neque enim Herodes responsione fuit dignus: quia non deuotus interrogator, sed callidus explorator erat.

Gloria inanis quanto opere fugienda: item quanam bona opera sint vel occultanda, vel palam exhibenda.

Gloria inanis quomodo vitanda.

Opera bona quanam sine scandalo abscondi nequeant.

Matth. 5.

Matth. 6.

Opera bona cuiusmodi abscondenda sint.

Signum aliquod cur fa-

Docemur ostentationem vt pessimam pestem fugere, atq; pro vitanda inani gloria, multa quæ celari absq; scandalo possunt, celare. Quæritur quæ sint, quæ absq; scandalo abscondi non possunt. Ea dico esse, quæ absque diuini præcepti transgressione fieri non possunt: ea item, quæ absque Ecclesiæ contemptu fieri omninè non possunt, verbi gratia: Si occasiones fugis, ne locis temporibusq; suspectis loquaris mulieribus: si renuis, ijs conditionibus stantibus, solus cum sola morari bene optimeq; facis. Quamuis enim fieri possint absq; vlllo peccato, quia tamen non habent speciem bonam, haud carent scandalo. Item in templum ire, ibi non fabulari, sed orare, temporibusq; statutis ieiunare, hæc aliq; id genus omnia, quæ tenemur non negligere, non debemus abscondere: quia si absconderemus, daremus scandalum delicti à nobis. De ijs dictum est: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in celis est.* Veruntamen non studio debent fieri inanis gloriæ, sed amore Dei, & ob ædificationem proximi, vt ex tuis operibus, ex tua obedientia proximus inuitetur conforteturve ad eadem opera bona, atq; saluti necessaria. Nam si eadem quæ fieri abs te pro tua salute necessarium est, celares, transgressor mox iudicaberis, hominesq; partim ad male iudicandum, partim ad ea quæ mala sunt, imitanda inuitabis. Veruntamen quod alibi dicitur: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua,* ad hunc intellectum est dictum, vt inanis gloria, aliavè aut sinistra corruptio, aut intentio vitiosa, nesciat, id est, locum non habeat aut partem in bono opere: imò ad eò esse debet à bono opere exclusa ac aliena, vt quod bonum fit in homine, ab ipsa etiã non percipiatur. Veruntamen sunt alia quædam, quæ non iussa aut præcepta, nec omnibus sunt communia, vt procidere in faciem orando, (extra monasteria, in quibus forte commune & generale est institutum sic fieri) expansis in modum crucis manibus orare, alios sonorosq; in oratione gemitus emittere, &c. illa palam non debent fieri, quia speciem (quamuis absit vitium) habent ostentationis. Hoc modo non debemus coram alijs facere, quæ nullam habent ædificationem: puta singularia quædam, ad quæ laus tantum & admiratio sequitur hæc operantis. Atq; ideo Christus coram Herode noluit signum facere,

facere, quia nihil inde fuisset ædificationis sequutum, nisi quod eius sibi amicitiam conciliasset & fauorem, & fortassè ex manibus Iudæorum liberationem, quod prorsus noluit: ideo quod suæ passionis præstaret impedimentum, agere noluit. Deinde quod tacuit Iesus, ideo fecit, quia noluit nobis relinquere adulationis speciem, ut putari potuisset pro fauore sibi impetrando, regis eiusdem acquiescere petitioni, aut in aliquo fuisse adulatus. Verisimile est enim, Herodem inuitasse ad miraculum faciendum Christum: eidem quæ, si obtemperaret, vitam promississe: si verò renueret, mortem esse minatum.

cere noluerit Christus coram Herode.

Cur tacuerit Iesus.

IESUS AB HERODE SPERNITVR.

Artic. XXVIII.

Stabant autem principes sacerdotum & scribæ, constanter accusantes eum. Spreuit autem illum rex cum exercitu suo. Luc. 23.

HOMILIA XXVIII.

Quomodo supra dictum est quoque, eadem fuit accusatio tam apud Pilatum, quam apud Herodem, nisi quod dolor nouus Christi cordi, uerecundiaque noua utrobique generabatur. Quia verò neque promissa, neque blandicias, neque minas regis respicere voluit Iesus, sed omnino tacebat: idcirco non minus ad ea quæ interrogabat rex, quam ad ea in quibus se audijt accusari à Iudæis, spreuit eum rex. Primò, ut hominem præsumptuosum, qui magnam de se spem sibi credentibus præbuisset, magnamque de se factasser opinionem, cum ad rem ventum esset, ut præstaret ostenderetque virtutem, nihil inueniretur in eo. Iterum ut stultum spreuit, quandoquidem in tanto periculo constitutum eum, sibi non vidit humiliari, nec suam (hoc est, Herodis) gratiam quærere, quod data occasione hac miraculū faciendi, aut respondendi, facile potuisset impetrare. Ibi ergo Herodi videbatur Iesus stultum se monstrare, quod suæ, cum posset, saluti haudquaquam consulere: Imò quod periculum, captiuitatem, salutemque suam non pluris faceret: & dum posset, & offerretur gratia regis, liberandique se occasio, eadem non vteretur. Atque ideo spreuit Iesum rex Herodes, tanquam ignauum hominem & imprudentem, cum curia sua, cuiusmodi enim rex est, huiusmodi est & curia sua. Quod verò Iesus tacuit, ideo fuit, quia rex quidem interrogans curiosè, alliciebat ad loquendum, Iudæi accusantes lacebent iniquè. Neuter tamen dignus erat responsione: quia rex interrogabat curiosa & indigna, accusatores verò adducebant palam falsa.

Spreuit fuisse Christum tanquam præsumptuosum & fatuum.

Silentij Iesu causa quæ.

Simplices, & pigri quæ, quomodo sese habebunt dum à mundi amatoribus & prudentibus male audiunt.

Docemur hominibus prophanis non euulgare sacra in quibus non ædificarentur, sed contemnerent ea, atque inde propterea deteriores efficerentur. Item non adulari pro quacunque re. Tertiò, contemptum fauorisque humani amissionem, aliudve incommodum libenter sustinere, & hæc maximè tunc, quando propter sinceritatem irrogatur. Quartò, qui simplex est ani-

Sacra prophanis hominibus non esse euulganda.